



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomae Młodzianowski Praelectionum Theologicarvm
Tomus ...**

**Młodzianowski, Tomasz
Moguntiae Et Dantisci, 1682**

Punctum Difficultatis 2. Quomodo defacto hæc Verba proferantur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82982](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82982)

gnificet; ita determinare possunt, ut hic & nunc plura significet; neque enim potior est ratio unius, quam alterius.

OBJICITUR Tertiò. Si idem posset dici recitativè & simul significativè, idemque verbum posset supponere pro utroque, etiam ly Te, in absolutione positum, posset supponere pro duobus: atque adeo si duo essent poenitentes, posset absolvi dicendo: Ego te absolvo.

RESPONDETUR. Disparitatem esse: quia de essentia Sacramenti est, ut ex modo significandi, intentioni corresponsdeant verba formalia, ut ita servetur, Ratio sensibilis humano modo, in Sacramentis requisita: quia verò illic est intentio absolvendi utrumque, & huic intentioni ex modo significandi, non corresponderent verba, utpote unum significantia, fit ut illa absolutio pro utroque non teneat: jam autem hoc quod est proferri recitativè simul & significativè, cum stet circa eadem verba, non nisi in ipso præcisè actu interno; fit ut eadem verba, possint simul significativè recitativè dici. Adde quòd absolutio sequatur rationem judicii; absolutio autem judicialis, Te, non accipit pro duobus: habere autem rationem recitantis & significantis, non sequitur rationem judicii, sed sequitur rationem intentionis internæ, recitandi autem intentio & significandi, possunt secum stare.

Punctum Difficultatis 2.

Quomodo defacto hæc Verba proferantur?

DICENDUM est. Defacto ea proferri etiam recitativè, sed non consecrant nisi assertivè prolata.

Prima pars Conclusionis.

PROBATUR Primò. Illa verba: Accipite & comedite ex hoc omnes, vel dicuntur recitativè, vel assertivè? Si recitativè; ergo & verba formæ dicuntur recitativè: quia alias non posset illis adnecti causalis Enim; pro alio enim supponeret ly Ex hoc recitativè dictum, supponeret enim pro hostia, quâ usus est Christus: ly autem Hoc in verbis formæ, supponeret non pro illa hostia, sed pro præsentem quam habet Sacerdos; quod ipsum declarat Lugo; non enim est bona causalis; Christus dixit, ut comederent ex eo, quod tunc habebat in manibus, quia hoc quod nunc habeo in manibus, est corpus Christi. Si autem illa verba dicuntur assertivè, violentiam facis verbis, & non accipis ea eo sensu dicta, quo dici solent ab hominibus, nam cum dico: Paterfamilias dicit, comede panem, illa locutio habet conditionem recitationis, ergo & in præsentem habebit.

RESPONDET Amicus. Priora verba tantum recitativè dici, verba autem formæ, etiam significativè; participiumque illud *dicens*, aut refert Christum proferentem tantum priora, & non verba Formæ; aut dici potest, quòd referat Christum in ultima Cœna, tam in propria persona loquentem, quam in persona Sacerdotis.

CONTRA est: Quia reedit Argumentum, quod scilicet ly *Enim*, adungi hinc possit, si ly *ex hoc* dicatur recitativè, ly autem, *Hoc est* assertivè; deinde quòd nos agamus in persona Christi, id usurpatissimum est apud Doctores, sed quòd in ultima cœna Christus egerit in persona Sacerdotum, id est novum; denique, quid est hoc agere Christum in persona Sacerdotis, cum nec Sacerdos virtutem agendi Christo tribuerit, nec dicebatur Christus consecrasse virtute Sacerdotum; & quamvis Christus id egerit in bonum nostrum, non sequitur, quòd jam illa verba, nexum inter se habere non debeant.

PROBATUR Secundò. Argumento desumpto ex illis verbis: Hæc quotiescunque feceritis, &c. & ex illis: Effundetur in remissionem peccatorum; quia casu, quòd dicta verba Sacerdos assertivè diceret, falsum assereret; assereret enim Sanguinem illum effundendum, cum jam effusus sit, & gloriosus effundi non possit: jam autem quis dicat tunc falsam proferre propositionem Sacerdotem.

RESPONDET Amicus. Verbum effundetur referri à Sacerdote ut constituto præsentem, tempore quo Christus hæc verba primum protulit.

CONTRA est. Hoc ipsum quod est tunc hi præsentem Sanguinem, ad tempus ultimæ cœnæ; hoc ipsum quod est illa verba proferri à Sacerdote, ut præsentem tempore, quo Christus hæc verba protulit, &c. similia, potest etiam recitativè dici, cur ergo non dicatur recitativè. Tum quia impugnat Amicus omnem materiam à futuris Sacerdotibus consecrabilem, à Christo fuisse consecratam: ergo etiam non debet dici præsentem materiam, prout præsentem tempore quo Christus consecravat, à Sacerdote consecrari, præcipue cum id arbitrariè dicatur. Tum quia quando dicit Sacerdos Accipiens & hunc præclarum calicem, potest adhuc bene dicere illa verba recitativè, sed per modum epitheti ex placito Ecclesiæ additi.

PROBATUR Tertiò. Quia omnia illa verba possent dici recitativè: quia in modo dicendi & referendi possunt simpliciter ita dici, ut diceantur, si illa aliquis in catechismo vel concione narraret: particula item, quæ illic interveniunt, sunt similes illis, quibus uti solemus, dum aliquid recitativè componimus; ut particula Dicens; particula, Effundetur, &c. trahens post se narrationem verborum dictorum, rursus illæ particulae non destruent, quominus

* (S)

adhuc

adhuc assertivè, verba formæ dici possent: cur ergo non dicentur assertivè poni.

Secunda pars Conclusionis.

PROBATUR Primò Authoritate Florent. ubi dicit Florent. Sacerdotem in persona Christi loquentem conficere hoc Sacramentum; loqui autem nonnisi recitativè, non est loqui in persona Christi, sed propria; ergo debet dari locutio etiam assertiva, in persona Christi.

PROBATUR Secundò. Quia id indicat modus institutionis hujus Sacramenti, cujus institutio importat, ut hoc faciamus consecrando, quod fecit Christus: jam autem Christus non recitando, sed asserendo protulit verba formæ.

PROBATUR Tertiò. Quia verba illa: Hoc est corpus meum, in quantum nonnisi pronuntiata recitativè habent hunc sensum. Christus dixit: Hoc est corpus meum; hic autem sensus indicat, quòd eo modo seu recitativè, non perficiatur consecratio: quia verba, eundem sensum habentia, & ex modo significandi humano, æquivalentia verbis Formæ, possunt validè conficere Sacramentum; & sic sive dicam, te abluo, sive te baptiso: tenet Sacramentum: quia idem sensus recitatur, & ex modo significandi humano, est æquivalentia ad consueta verba formæ; consequenter, si verba illa formæ habent sensum nonnisi recitativum, hic sensus modusque significandi æquivalenter est sub his verbis: Christus dixit hoc esse corpus suum, deberet inquam sub his verbis tenere consecratio; & si non teneat, apparet illius formæ prout consecratiæ, non esse dictum sensum recitativum.

Punctum Difficultatis 3.

Solvuntur Objectiones.

OBJICITUR Primò cum Amico, cujus etiam rationis meminit Lugo. In Florent. dicitur Sacerdos in persona Christi loquens, conficere hoc Sacramentum: at qui tantum recitat verba alterius, non loquitur in persona illius, sed in propria: recitatio enim est actus recitantis, non ejus, cujus verba recitantur: & certè loqui in persona alterius, est in loquendo inducere personam alterius, eamque in loquendo repræsentare, ac si ipse, in se ipso loqueretur.

RESPONDETUR. Hoc argumentum probare, quòd non solum, nec præcisè, tantum recitativè, proferantur verba formæ, quòd etiam nos concedimus: hoc autem quòd est loqui Sacerdotem in persona Christi triplicem habet sensum; Primò loqui eum virtute verbis suis communicatà ex institutione & persona Christi; & hoc nihil probat in oppositum: quia potuisset Christus vim indere verbis, nonnisi recitativè

prolatis, cum recta intentione, ut sortirentur eundem effectum, quem sortiuntur assertivè prolata. Secundò loqui eum tanquam secundariam causam, & instrumentum ejus, cujus profert verba, & adhibere materiam, reliquæ ad Sacramentum requisita, ita ut rationem causæ principalis habeat Christus, & in hoc sensu nihil speciale habet Sacerdos, quàm habeat in collatione alijs Sacramenti; nam defacto Augustinus tract. 6. in Joan. ante medium, principalem baptisantem Christum appellat; Petrus, inquit, baptiset, hic est qui baptizat; Paulus baptiset, hic est qui baptizat &c. Tertiò facere in Persona Christi, id est, repræsentando actionem à Christo factam, ipsumque Christum facientem, & hoc contingit in consecratione Eucharistiæ; ad quod videtur respexisse Florentinum citatum: non enim de alijs Sacramentis, sed de solo Eucharistiæ dixit, quòd illud Sacerdos in persona Christi loquens faciat: sed hoc non probat, quòd simul etiam non possit habere personam recitantis.

INSTAT Amicus. Si illa verba: Hoc est corpus meum, dicerentur solum recitativè, referrentur, ut fuerunt à Christo prolata, hoc enim est dicere recitativè; si autem sic proferrentur, non proferret ea Sacerdos supra præsentem materiam; si enim supra præsentem enuntiarentur, non referrentur ita, ut ea fuerunt à Christo enuntiata, non enim enuntiata fuerunt, supra præsentem materiam.

RESPONDETUR. Etiam hoc argumentum probat, quòd non possint proferri tantum recitativè, sed non probat quòd proferri non possint etiam recitativè. Ne autem ulterius hoc argumentum urgeatur, in materia supra quam pronuntiantur verba, duplex formalitas distingui potest, & formalitas præsentis materiæ, & simul formalitas præsentis materiæ, prout repræsentantis materiam præteritam; sicut actio præfens Sacerdotis, præsentat actionem Christi præteritam, & persona Sacerdotis, personam Christi, hinc fit; ut salvari possit tota veritas recitationis: nam si enuntiarentur supra præsentem materiam, non repræsentantem præteritam materiam, non referrentur ita, ut fuerunt à Christo enuntiata, quando tamen enuntiantur supra præsentem materiam, ut præsentantem materiam præsentem, referuntur ita, ut fuerunt à Christo enuntiata, servato modo, qui relationi debitus est, sic v.g. referat aliquis, quomodo in jurgio dixerit Petrus: hic est meus gladius, idque dicendo exprimat gestum Petri arripiens suum gladium; talis relatio est vera recitatio, quantumvis non eundem gladium arripiat, nec de eodem numero dicat; hic est meus gladius.

OBJICITUR Secundò ex Lugone. Sacerdos dicturus verba formæ, exiit propriam personam, & induit Personam Christi; ergo Sacerdos

dicens